



Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quidque is fugere,
quid agere debeat, quam exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Præfatio Interpretis Ad Pastores Animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

P R Æ F A T I O

INTERPRETIS AD PASTORES ANIMARUM.

VEstro, vestrarumque ovium bono, Virorum lectissimi, liber hic, postquam Italica, jam per aliquot annos, fatigavit præla, latine loqui doctus, in lucem prodit. Vestrum est, commissos greges pascere doctrinā, pascere exemplis, pascere Sacramentis; si recte vestri munieris partes his paucis Angelicus Doctor complexus est. Postrema duo quomodo ritè faciatis, tum alij multi, tum quem non post multos mentes, si DEUS conatibus nostris adfuerit, hi ipsi typi excedent, liber ejusdem Authoris docebit. Prius illud, quomodo rectissimè, & summo creditarum Animarum bono præstetis, ex hoc, quod in manibus est, triplici volumino præclarè diseeritis. At hoc denique, non deerunt, qui dicant, est actum agere: cùm & aliàs, & ultimis maximè hijs lustris, optimorum Authorum præstantissima ex typographicis officinis, hujus etiam, qui istud obtrudit, Bibliopolz, prodierint opera, quibus, quod hoc pollicetur, cumulatissimè efficitur. Sunt ad manum Dissertationes, Sermones, Conciones in Dominicos, in festos Divis Cœlitibus, & Sacros altissimis nostræ Religionis Mysterijs dies, magnâ eloquentiâ, suavi facundiâ, methodo ad animos permovendos aptissimâ scriptæ tam multæ, tamque insignes, ut in opes propè nos copia faciat. His autem quid docetur aliud, quam Christiani hominis officium? quam, quid sequi ille, quid fugere debeat? Hoe ergo, & nihil aliud, cùm liber iste polliceatur, an non, ut diximus, actum agit?

Audio fræ; sed non probo; quod bonâ vestrâ veniâ fiat, Pastores optimi. Nam in primis, si tam multorum, tam multæ lectissimæ extant Conciones, & quos appellant, Discursus, quidni tam multos inter, his quoquo locus sit? Non alia semper, etiam quos habetis, alij dieunt, sed aliter; & alius huic, alius alteri præplaceat: quidni & multos sit invenire, quoniam non omnes leguntur ab omnibus, qui omissis alijs hunc deligant, hujus doctrinam, hujus methodum amplectantur? Sieut post plurimos, qui Conciones ac Sermones in quadraginta verni Jejunij dies ediderant, haud pauci tamen inventi sunt, quibus nostri potissimum Pauli Sermones probarentur, eos lexitarent, inde Audientibus salutaria monita proferrent, torpentes animos vehementer excitarent. Quidni sortem candem Discursus

P R A E F A T I O.

Eurus isti sibi promittant; maximè ex quo Europa jam didicit, qualem DEUS Paulum huic nostræ ætati indulserit? Plurimos utique, antequam Petri Cathedram ascenderet, nobilissimos Oratores audierat Innocentius XII. Sanctissimus Pontifex & Pastorum Pastor: non alium tamen ille, quam Senem hunc nostrum, non uno certoquin ætatis provectæ incommodo laborantem, frustraque se excusare conatum, audire Apostolicis è rostris voluit? quidni eodem, quo Sapientissimus hic Monarcha, multi & judicio, & gustu sint? Si Italis, qui fermè hebeti palato esse non solent, nec pingui Minervâ, aut obsis naribus, sic tamen liber iste placuit, ut plura, quod dicebam, inter eos præla fatigaret; an Germanorum, aut aliorum eis Appenninum, qui famen peregrina fermè suis, & domi natis, præhabent, non idem erit sensus, non eadem æstimatio?

Sed missa ista facio, et si procul dubio sufficiunt ad ea, quæ objecisti, refellenda. Istud edisite. Sitantur eorum librorum, qui Christiani hominis totum officium docent, quî fit, ut istud passim tam multi ignorant, tam pauci faciant? quî fit, ut cùm nonnulli aliquos ex his Discursibus, vix dum latinè loqui doctis, legunt, confessim admirabundi exclament: eur talia à nostris Concionatoribus non audimus? quî fit, ut quos his in partibus Ecclesiæ è gremio Hæresis abstraxit, errores suos, quām vera multi è Nostris Dogmata, eallent accuratiùs, apparentibus rationum firmamentis stabilire nōrint solertiùs? An quia vos populum alloqui, superiore è loco vestros eruditire negligitis? Eset id enim verò partem munera vestri præstantissimam non implere: cujus ego vos sceleris arguere nec volo, nec audeo: si quis uspiam talis esset, huic aurem non lentè velliearet Paulus noster Parænesi, quam parti hujus operis tertiz annexuit. Sed quod inter Italos non valdè rarum est, in hoc Germani nostri, quæ est Sacrorum Magistratum vigilantia, non sæpe delinquunt. Ut autem hâc à noxâ plerosque purgare non est difficile, ita assirere, quòd in materiæ delectu, tractandi methodo, eloquendi ratione, nunquam, aut raro peccent, eset operæ longè diffieillimæ & nimis crebrâ experientiâ evidenter confutatum.

Istud faciliùs dixerim: multos non suâ voluntate, sed alieno ductu delinquare; dum non quos eligunt (hoe enim neque judicio multi sunt, ut inter apta, inepta, aptè distinguant; neque ita libris nonnulli abundant, ut delectui locus sit) sed in quos vel forte non bonâ, vel aliorum imperitorum

P R A E F A T I O.

rum judicio, insiderunt, Authoribus ad suas Conciones elaborandas utuntur, aut etiam eorum ferè verba Auditoribus adnumerant. Sunt autem, ut res loquitur, profectò non pauci, qui vera dicere non audent; necessaria vel non attingunt, vel obiter prætervolant; utilia raro inculcant; salutaria ignavè omittunt; peregrina, curiosa, studiosè conseruantur. Aut cùm dicunt utilia, dicunt inutiliter; vel quia non ad captum audientium, vel quia alienà à loco, & gesticulatoriâ dicendi ratione, eachinos, non lachrymas provocant audientium, & tum sibi belli, ac quolibet umbone digni Oratores videntur, cùm effuso risu Templi personant, & domum, qui intererant, fuerunt, unde in Circulis joventur, & rideant, non unde meliores fiant. O erubescendam sacra pulpita profanantium fatuitatem! Quid interest inter mutos, & inter loquentes, quæ, & quomodo non oportet? quid inter nullum ministrantes pabulum, & inter præbentes nihil profuturum? Sanè utroque modo fame pereunt, quibus frangere panem saeros Pastores decet. Quàm multis ad ravim declamantibus oceini illud Bilbilitani posset? *Si sudare aliter non posse, est aliud: aut illud Sapientis,*
 (a) *Quid prodest illis, nisi labor?*

O Pastores Animarum! qui voluit & jussit, ut ad commissos euræ vestræ greges eoncionabundi diceretis, idem jussit, ut quæ, & quomodo dicenda sunt, diceretis: nec enim aliás, qui unicè spectatur, obtineretur finis, & ad dicendum tantum fallendi temporis, populique oblectandi causâ, non Templi, non sacra Pulpita, sed Theatra constructa sunt. Illuc ergo amandate, qui ridere malunt, quàm flere; potius jocos & ineptias audire, quàm ad seriam de admissis pœnitudinem excitari; discere noxia, quàm profutura. Vos autem (ita per salutem & vestram, & vestræ euræ creditarum ovium oro atque obtestor) audientibus proponite vera sine fugo, necessaria diligenter & enucleatè; salutaria piè & suaviter; omnia tam graviter & modestè, ut nemo non agnoscat, vos tractare verbum DEI. Hoc autem (meam obligo fidem) certò assequemini, si ducem & Magistrum Paulum hunc secuti, & quæ, & quo modo ipse hoc in volumine tractat, tractare non piguerit. Et quamquam graviter ille ac serio, ut res postulat, dicit omnia, non tamen suus dictioni deest lepos, non ea desiderantur, quæ ad libenter audiendum suæ salutis cupidos allificant, & sanctè piéque oblectent.

b 3

In-

(a) *Ecli. 34. 28.*

P R A E F A T I O.

Invenietis h̄ic similitudine s&c multas, & ad rem propositam explicandam appositissimas; quarum proprium est non explicare tantum obscura, sed etiam audientes oblectare. Invenietis exempla, quæ vel invitox, quo vul-
tis, trahant: ut eorum vis & jucunditas est planè singularis. Neque Au-
thoris stylus tam aut in a mœnus, aut asper est, ut offendere quemquam pos-
sit; et si redundantibus ornamenti, & res tam sacras de honestantibus pi-
gmentis abstinet, rudiorum etiam captui sese studiosè accommodans.
Ea autem tractat, quæ si vestri noverint omnia, nihil utique ignoraturi
sunt eorum, quæ vel necessaria sint, vel profutura. Unde sine anxiâ,
multa aliundè conquirendi, solicitudine, vestro Pastorum officio satis
omnino facietis, si hoc, quod isto libro subministratur, vestras tam caras
Deo, & tanto emptas pretio oves, pabulo sedulò pascere non omiseritis;
vel eo singula ordine proponendo, quo ipse proponit; vel quem tempo-
rum dierūmque, quibus dicendum est, ratio vobis dictaverit.

Atqui hoc ipsum est, dicet non nemo, quod in hoc Authore desidero;
quod ille non in Dominicos, non in festos Sanctis Cœlitibus dies Discursus
suos partiatur. Si proinde horum dierum aliquo dieendum fuerit, unde
demum hinc promam, quod tempori, quod ejus diei Evangelicæ historiæ,
aut parabolæ accommodatum sit? Næ iste, qui sic arguit, rudis est artis con-
cionandi, & in rem suam vertendi, quæ alios in fines videntur esse destina-
ta. Hoc ut re ipsa demonstrem, Dominicam diem accipio, post quam ista
scribo, estque illa, quam Septuagesimam Ecclesia appellat, quâque ex Evan-
gelico codice legi jubet Parabolam de vocatis in Vineam, & mercedem &
qualem post tempus laboris in æquale a cipientibus. Nihilne hoc in volu-
mine, quod hunc in diem quadret? Quid ergo? An non eorum verbo-
rum occasione: quid h̄ic statis totâ die oriss? otij damna & mala proponere
licebit? hæc autem quæ sint, pluribus hujus voluminis locis, in Indice ver-
bo Osium, nullo negotio invenire licebit. An non occasione eorum, quæ de
industriâ hujus patrisfamilias, primo mane ex euntis ad conducendos Ope-
rarios in vineam suam, dicuntur; rectè differetur de negligentia, quâ mul-
ti res Animæ curant, cum tam naviter negotijs, rerum eaducarum inten-
dant? Quæatur proinde in Indice verbum *Anima*, & mox indicabitur lo-
cus, quo de dolendâ hâc socordiâ agitur. Aut cum tam multi, in foro & ipsi
stantos, conducti tamen non fuerint, an malè de numero parvo Electorum,

ma.



P R Ā F A T I O.

majore autem Reproborum agetur? an de Gloriæ cælestis magnitudine, quæ parvo sèpè tempore laborantibus in præmium datur, afferre, quæ hoc libro dicuntur, non litebit? Pereurrat proin solas Discursuum, qui singulis libris continentur, tabulas, qui volet nunquam sibi deesse, quod aptum sit temporis; volvat, & revolvat sèpius, toti operi adjunctos Indices, & si bardus non est, nunquam desiderabit, quod appositè ad rem tempùsque proferat.

Etsi proinde vituperati haud quaquam posset, qui, in pagis maximè, eo omnia ordine diceret, quo hoc volumine disceptantur, qui tamen, vel suo, vel aliorum levando fastidio, moribus hodiernis servire maluerit, videat, quâ de virtute, vel vitio agatur in ejus diei Evangelio; & tum ex libro nostro depromat, quod ad rem aptum, si tantillùm ipsum sibi fecerit familiarem, certò certius inveniet. Experto credant: cùm essem subinde alicubi, ubi alij libri non aderant, quâm hic, quem mecum detuleram, nunquam tamen defuit, quod etiam curioso auditori satisfaceret. Et verò ut vel minùs peritos, vel pluribus occupatos hoc quærendi labore levarem, Tabulas ipse concinnavi, quæ quid quovis die ac tempore aptè proponi possit, velut intento digito demonstrent. Has qui consulere volet, ad operis calcem reperiet.

Sed Italusest Author, & ad eos scribit, qui vitijs laborant, quibus Germani non assuevère. Rectius igitur Germanis utemur, qui suorum Gentilium mores ut nôrunt familiarius, ita ijs medentur certius. Aliàs primum esset contingere, tam non ad rem, & ad audientium utilitatem multa proferri, quâm ridiculè nonnemo rusticani mulierculis vestium luxum, & illa, voluerûmne magis, an hominum retia ac laqueos? quibus hodie nobiliores feminæ capiti impositis superbiant, multis severè exprobravit. Non diffiteor, esse nonnulla, quæ illis, quos Author alloquitur, propè solis aptè proponantur, & exaggerentur: prudens tamen quilibet his facile abstinebit, aut ea sic moderabitur, ne frustra & abs re ad suos dicta videantur. Omnes tandem Nationes suos patiuntur peculiares manes: aliqui tamen, & plerique quidem, omnes vexant & singulas; etsi plus minùsve: certè non alia Itali, alia Germani peccata Catecheticis suis in libris Capitalia enumerant; nec Virtutes, his oppositas, diversas. Non erit igitur sapienti difficile, videquid, quibus serviat: qui autem tam nullo est judicio, ut apta ab ineptis discere necesse nesciat, nà illi omnium Authorum tractatione abstinendum erit;

P R A E F A T I O.

erit; quia nullus est, qui habeat, quæ omnibus, & ubique sint idonea. Pueris ista non scribuntur, sed viris, quorum maturior ætas ac judicium eorum facilè in rerum delectu errare non sinat.

Ad hoc autem quid reponam, quod longiores hujus operis Dissertationes sint, quam quæ unitas integræ, ne dicam dimidiatae, horæ spatio absolvi possint? Quæ, quæ so, lex jubet totas recitare? an fortè dividere illas non licet, tanquam imparcibiles? Author ipse nunc duas, nunc tres in partes secat: quidni nunc hanc, nunc illam proferre concessum sit, si omnes eloqui temporis præscriptum spatium, aut patientia audientium non permittat? Et verò hoc ipsum cunctis suadeo, ne totos uno, eodemque tempore Discursus; sed nunc hanc, nunc illam singulorum partem; nunc hæc, nunc illa rationum momenta, quibus proposita materia, aut assertio stabilitur, in medium afferant; ut unâ eademque operâ & suorum fastidium caveant, & sibi alias in occasiones aliquid servent; at quo ita diutiùs hoc libro utantur, donee velut in orbem redouentes, jam pridem auditorum memoriam obliviosis refricent.

Ceterum cum in hac secunda editione id mihi esset propositum, ut Opus totum sibi quam simillimum, & eodem scilicet calamo latine redditum prodiret, id tamen & librum hunc à D. Bibliopola. importunè propè dixerim, exigentium aviditas, & occupationes meæ multæ simul ac molestæ non permiserunt. Multa tamen aliter reddidi, multa ad Italici Exemplaris fidem emendavi; ut adeò liber his modò se ipso non paulò melior prodeat; suo etiam tempore, si ita res poscere videbitur, totum se uno vultu, & similibus planè lineamentis legentium oculis oblaturus. Interim hanc etiam meam opellam boni consulite, & alia Authoris nostri opera à me latine reddenda expectate. Ut autem vos non lateat, quis qualisque Author his noster fuerit, en Epistolam, ab Arcanorum ejus concio, & Expeditionem saecularum socio individuo, mox à tanti Viri morte scriptam, Hujus enim Lectione spero fore, ut Operis hujus æstimatio in vobis & pretium erescat; cum visuri sitis, non contentum Paulum nostrum, præclarè clicco & scribere, strenuè etiam fecisse, quod Major DEI gloria ab eo postulare videbatur. Quod studium utinam DEUS in me perinde ac vobis sic deinceps accendat, ut aliud planè spectemus nihil, & sanctis DEI promovendæ conatibus immoriamur. Sic precatur omnium vestrum minimus in Christo servus

M. R. S. J.

